R. A. 9. Septembr. 1625

21

VOTA ET MOTIVA IN PROCESSV ACTITATO IN REGIA AVDIENTIA ARAGONVM, INTITVLATO PROCESSVS

Appellationis Procuratoris Fiſcalis Maieſtatis Domini noſtri Regis,nec non Iuratorum Villæ Montiſoni.

IN DEI NOMINE AMEN. Nouerint vniuerſi,quod anno à Natiuitate Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quinto,die vero,quæ computabatur nona menſis Septembris apud Ciuitatem Cæſarauguſtæ, & in Camera Regij Conſilij Ciuilis præſentis Regni,interuenerunt magnifici Domini Ioſephus de Seſſe Regens Cancellariam, Martinus Godino,Hieronymus Marta,& Antonius Auguſtinus de Mendoça Regij Conſiliarij,coram quibus fuit poſitus Proceſſus appellationis Procuratoris Fiſcalis ſuæ Maieſtrtis contra Hieronymum Ferrer & Bardaxi ſuper Iuriſfirma eius Infançoniæ, in quo omnes dicti magnifici Domini de dicto Regio Conſilio concordes fuerunt voti & opinionis,quod Att. Cont. &c. tenetur & debet pronuntiare,& declarare,per Iudicem aquo bene fuiſſe & eſſe pronunciatum,& per Procuratorem Fiſcalem Domini noſtri Regis,ac Iuratos,Concilium,& Vniuerſitatem Villæ Mon-

tiſoni,

tiſoni, princ. Hierc. de Abeñia, & Iõ. Lu. Garcia de Benauarre Proc. male ad hanc Regiam Audientiam appellatum, neutram partium in expenſis condemnando, cætera ſupplicata locum non habere. Att. Cont. EX EO & aliàs pronuntiatur, bene fuiſſe pronũtiatum per Iudicem a quo, & male appellatum per dictos Procuratores Fiſcales, ac Iuratorum Villæ Montiſoni; quoniam quamuis conſtet ex priuilegio nobilitatis per Hieronymum Ferrer in præſenti proceſſu exhibito, illud non eſſe ſimplex, & abſolutum ad omnem actum nobilitatis, ſed limitatum ad eam tantum nobilitatem, qua nobiles Cathaloniæ in eius Principatu vtuntur, ac vti conſueuerunt, ſicq; de ſtricto iuris rigore videretur, onus probandi, qua nobilitate gauderent nobiles dicti Principatus in hoc Regno, eoſdemq; potiri ijſdem priuilegijs, & inmunitatibus, quibus vtuntur Infantiones in præſenti Regno Aragonum, incumbere dicto Hieronymo Ferrer conuento, ad impediendum litis ingreſſum, quod à ſe non videbatur verificatum. Cæterum cum id notiſsimum ſit, ac fere vulgare, & ordinarium inter omnes; conſtetq; tam ex Hiſtorijs authenticis Coronæ Aragonum, quam ex Doctoribus & ſcriptoribus antiquis, & recentioribus, nobiles videlicet Cathaloniæ frui & gaudere ſolere in hoc Regno omnibus priuilegijs, & inmunitatibus; quibus gaudent Infantiones noſtri Regni, ſitq; etiam certius, probata dicta conſuetudine Cathaloniæ ab ipſo Hieronymo Ferrer, in quocumque iudicio pro ſe eſſe dictum Hieronymum fauorabilem ſententiam reportaturum, cum dicto priuilegio, etiam aduerſus Fiſcum & Vniuerſitatem Montiſoni, idcirco ne partes ſumptibus manibus, & expenſis vexentur, & vt maxima ſuadente æquitate, non eſſe procedendum ad vlteriora in hoc proceſſu exiſtimamus.

Præ-

Præſertim exiſtente dicto Hieronymo Ferrer in poſſeſsione ſuæ Infançoniæ, prout exiſtere, in proceſſu apparet, & bene pronuntiatum, ac male appellatum cenſemus, & aliàs. Att. Cont.

SIG ✠ NVM mei Ioſephi Iubero Scribæ mandati ſuæ Maieſtatis ac Cæſarauguſtæ domiciliati authoritateq; Regia per terram, & dominationem Domini noſtri Regis publici Notarij qui huiuſmodi vota & opiniones à Regeſtro, ſiue libro Regij Conſilij Ciuilis de anno ſupradicto vbi continuata exiſtunt, extraxi, & cum eodem bene, & legaliter comprobaui, in quorum fidem, & teſtimonium hoc meo ſolito ſigno ſignaui.